Hermann, C F
Disputatio de Daphnide Theocriti

Theocrit.

rmann

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

PRORECTOR

CONR. HENR. FUCHS D.

CUM SENATU

SUCCESSOREM

IN

SUMMO MAGISTRATU ACADEMICO

AUG. HENR. RITTER D.

CIVIBUS SUIS

HONORIS ET OFFICII CAUSA

COMMENDAT.

Inest

C. FR. HERMANNI ELOQ. P. O.

disputatio de Daphnide Theocriti.

GOTTINGAE MDCCCLIII.

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

(GUIL. FR. KAESTNER.)

Summo magistratu academico, quem per hunc annum gessi, propemodum perfunctus nihil reliqui habeo nisi ut benevolentiae et obsequio vestro, Cives academici, commendem successorem rite creatum et Augustissimi Regis ejusdemque Academiae nostrae Rectoris Magnificentissimi clementia confirmatum, virum clarissimum gravissimum

AUGUSTUM HENRICUM RITTER D.

quem quum jam in superiore hujus muneris administratione strenuum diligentem humanum ut quem maxime cognoveritis, nulla causa est, quapropter singulari mea laudatione prosequar. Unum igitur restat, ut Deus Optimus Maximus consilia ejus fortunet Academiamque illius regimini creditam caelesti tutela amplecti pergat; hanc ipsam autem ut demereamur, novi Prorectoris curas in communi salute promovenda sedulo adjuvemus.

His auditis quum meum esset novum Prorectorem velut coena quadam aditiali ex antiquae eruditionis penu depromta excipere, in Daphnidis fabulam incidi, quam pastorum Siculorum oribus traditam princeps, ut videtur, Stesichorus Himeraeus in carminis argumentum contulit, ex eorum autem poëtarum numero, qui ad nostram aetatem pervenerunt, Theocritus identidem sic attigit, ut et ipse semper inter locupletissimos ejus auctores haberetur, et quicquid praeterea de illa fabula traditum esset, in hoc illustrando praecipuum locum inveniret. Eadem tamen quum non solum in grammaticorum manibus varias et multiplices formas induisset, sed a poëtis quoque et ipso adeo Theocrito aliis locis aliter tractata esse videretur, acerrima eruditorum studia excitavit, qui aut diversas formas inter se

conciliare aut suam cuique simplicitatem et originem reddere conarentur; ipsum denique Theocriti idyllium primum, cujus luculentissima pars in Daphnidis fortuna describenda versatur, tantas et legendi et interpretandi difficultates offert, ut per se solum jam satis criticos exercuerit. Mitto Hardionium, qui in Mém. de l'Acad. d. Inscr. T. VI p. 459 pro illius aetatis more hoc solum egit, ut omnia ad hominis alicujus, illustrissimi Siciliae poëtae, fata revocaret; sed nec Lennepius, qui doctam et accuratam de Daphnide Theocriti et aliorum disputationem inseruit Instituti Belg. Cl. tertiae Comm. T. II (Amstel. 1820, p. 157 sqq.), satisfecit Welckero, cujus sententia primum in censura libelli de Stesichori vita carminumque reliquiis a Kleinio editi proposita (Jahn. Jahrbb. d. Philol. 1829, P. IX, p. 284 sqq.) ab eodem repetita est in Kl. Schriften z. griech. Lit.gesch. T. I, Bonn 1844. 8, p. 189 sqq.; nec Welckerus Doederlino, cujus Lectiones Theocriteae itidem novo Prorectori consalutando Erlangae 1843 editae maximam partem in Daphnidis fabula versantur; praeterea, ut aliorum mentionem in singulos locos differam, Klausenius in vastae ac confusae doctrinae opere Aeneas und die Penaten, Hamb. 1839. 8, T. I, p. 518 sqq. hanc quoque fabulam in earum ordinem redegit, quibus communem Troicarum religionum notam imprimere conatus est. Equidem quid de Daphnide Theocriteo sentirem, paucis jam significavi in iis, quae in Gött. gel. Anzeigen 1845, p. 1072 sqq. de Welckeri libro disputavi, nec nunc plus mihi sumo, quam ut illam sententiam, cujus nondum me poenituit, amplioribus argumentis firmem et per singulos Theocriti locos ita persequar, ut quid mihi cum aliis conveniat, quid non, fideliter aperiam; id ipsum tamen quum accurate fieri non possit, quin totius fabulae indolem et naturam disceptatione comprehendam, quantum ad Theocriti verba explicanda conferre mihi contigerit, tantundem etiam ad Daphnidis personam illustrandam pertinebit.

P. P. in Academia Georgia Augusta Kal. Sept. a. MDCCCLIII.

I.
De Idyllio septimo.

Insignissimum mihi ad Daphnideae fabulae primordia existimanda semper visum est Idyllii septimi testimonium, ubi Theocritus inter compluria pastoriciorum carminum argumenta primo loco hoc ponit v. 73 — 77:

ὥς ποκα τᾶς ξενέας ἠράσσατο Δάφνις ὁ βούτας,
χὡς ὄρος ἀμφ' ἐδονεῖτο [1]) καὶ ὡς δρύες αὐτὸν ἐθρήνευν,
Ἱμέρα αἵτε φύοντι [2]) παρ' ὄχθαισιν ποταμοῖο,
εὖτε χιὼν ὥς τις κατετάκετο μακρὸν ὑφ' Αἶμον
ἢ Ἄθω ἢ Ῥοδόπαν ἢ Καύκασον ἐσχατόωντα:

qui locus quamvis brevitate obscurior tamen haud scio an hac ipsa re commendetur, quod poëta rem obiter commemorat, qua in mentione nihil causae inest, quapropter eam novis coloribus de suo vel exornet vel deformet. Habemus igitur Daphnin peregrinae mulieris amore captum, cujus desiderio circum montes errat, idem vero mox tabe confectus nivisque instar resolutus arborum luctum prope Himerae fluminis ripam excitat, qua in imagine quae nivis partes sint, postmodo videbimus; nunc ipsum Himerae nomen nos ad Stesichorum remittit, non quo Theocritum summam fabulae ex hujus potius auctoritate quam ex ore hominum descripsisse statuamus, sed ut ipsam hanc summam cum ea conformatione com-

---

1) Sic ex Meinekii conjectura scripsit Ahrensius, firmatque in simili causa ipse Theocrit. XIII. 65: Ἡρακλέης τοιοῦτος ἐν ἀτρίπτοισιν ἀκάνθαις παῖδα ποθῶν δεδόνητο κ. τ. λ. Quod in libris est ὄρος ἀμφεπονεῖτο, lapicidam potius vel lignatorem quam amore saucium significat, sive solum ἐπονεῖτο respicimus, ἀμφὶ ὄρος otiose languet; ex vulg. autem lect. ἀμφεπολεῖτο ne ἀμφεπόλει τε exsculpamus, sequentia vetant, quae non mutuo vinculo cum hoc ἀμφιπολεῖν continentur, sed ad posterius tempus spectant; itaque aut cum Zieglero ἀμφεπόλει χὡς αἱ δρύες scribendum aut lenior Ahrensii medicina amplectenda est.

2) Fugit h. l. editores Merkelii conjectura haud profecto spernenda αἳ πεφύαντι (Quaest. Ovid. Hal. 1835. 8, p. 43) ad Homeri exemplum Iliad. IV. 484, Odyss. VII. 128; cui certe ne illud quidem obstat, quod Id. XVI. 77 major librorum numerus ἐρρίγασιν quam ἐρρίγαντι commendat.

paremus, quam Daphnidis fabula apud patrium poëtam accepisse videatur. Licet enim Stesichoreae poësis memoria ita evanuerit, ut ne illud quidem constet, utrum singularis carminis argumentum an majoris pars aliqua Daphnis fuerit, nedum poëtae verba aliqua ad nos pervenerint, Aelianus tamen, cujus testimonio Stesichorum hanc fabulam primum tractasse novimus [3]), quae eodem loco de ipso Daphnide narrat, Stesichorum auctorem habere tam proclive est, ut hoc solum in disceptationem venire possit, manumne poëtae Aelianus an alium scriptorem, qui ex illo hausisset, ante oculos habuerit; qua in quaestione quum non infima Parthenii auctoritas sit, qui consimilem narrationem ex Timaeo Siculo affert [4]), hunc Theocriti fere aequalem eum haberi conveniet, cujus opera fabula a Stesichoro literis mandata in historicorum quoque ut Diodori [5]) moxque in grammaticorum manus transierit. Atqui hos si audimus [6]), Daphnis Mercurii filius bubulcus in prima adolescentia Nymphae amorem meruit; quae quum illi interdixisset, ne cum alia muliere rem haberet, ille diu servata fide a regis cujusdam filia ebrius factus et ad ipsius consuetudinem pellectus est; quo facto ab irata Nympha oculis privatus, si Theocriti interpretem sequimur [7]), in caecitate de saxo cecidit eumque vitae finem habuit; quae omnia quantopere a Theocritei argumenti forma discrepent, facile apparet; quod si nihilominus eundem hominem utrobique spectari certum est, priusquam diversissima inter se conciliare et ad communis sententiae artificium revocare aggrediamur, ante omnia hoc agendum erit, ut quasi stamen fabulae ab iis partibus separemus et purgemus, quibus illam paullatim subtextam et implicitam esse probabile sit. Quo in genere hoc omnium certissimum est, genuinum Daphnin non poëtam sed argumentum poëmatis habendum esse, cujus etsi personae fabulosae non alienum est, ut fistula cecinisse ipsiusque amoris et moestitiae

---

3) Var. Histor. X. 18: ἐκ δὲ τούτου τὰ βουκολικὰ μέλη πρῶτον ᾔσθη καὶ εἶχεν ὑπόθεσιν τὸ πάθος τὸ κατὰ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ· καὶ Στησίχορόν γε τὸν Ἱμεραῖον τῆς τοιαύτης μελοποιΐας ἀπάρξασθαί φασι.

4) Narr. amat. 29: ἐν Σικελίᾳ δὲ Δάφνις Ἑρμοῦ παῖς ἐγένετο, σύριγγί τε δὴ δεξιὸς χρήσασθαι καὶ τὴν ἰδέαν ἐκπρεπής· οὗτος εἰς μὲν τὸν πολὺν ὅμιλον ἀνδρῶν οὐ κατῄει, βουκολῶν δὲ κατὰ τὴν Αἴτνην χείματός τε καὶ θέρους ἠγραύλει. τούτου λέγουσιν Ἐχεναΐδα νύμφην ἐρασθεῖσαν παρακελεύσασθαι αὐτῷ γυναικὶ μὴ πλησιάζειν· μὴ πειθομένου γὰρ αὐτοῦ συμβήσεσθαι τὰς ὄψεις ἀποβαλεῖν· ὁ δὲ χρόνον μέν τινα καρτερῶς ἀντεῖχεν, καίπερ οὐκ ὀλίγων ἐπιμαινομένων αὐτῷ, ὕστερον δὲ μία τῶν κατὰ τὴν Σικελίαν βασιλίδων οἴνῳ πολλῷ δηλησαμένη αὐτὸν ἤγαγεν εἰς ἐπιθυμίαν αὐτῇ μιγῆναι· καὶ οὕτως ἐκ τοῦδε ὁμοίως Θαμύρᾳ τῷ Θρᾳκὶ δι' ἀφροσύνην ἐπεπήρωτο.

5) Diodor. Sic. IV. 84.

6) Praeter Theocriti intpp. cf. impr. Serv. ad Virgil. Buc. V. 20.

7) Ad Idyll. VIII. 92: οἱ δὲ λοιποὶ (praeter Theocritum) φασιν αὐτὸν τυφλωθῆναι καὶ ἀλώμενον κατακρημνισθῆναι.

solatia canendo quaesivisse dicatur [8]), illud tamen, quod carminis pastoricii princeps et inventor fuisse praedicatur [9]), ita potius invertendum est, ut ipsius fata inter celeberrima rusticae poësis argumenta censeantur [10]), unde quomodo factum sit, ut nomen ejus in ipsum poëtarum numerum abiret, in simili Lini fortuna dudum ab aliis ita explicatum est [11]), ut nobis ne verbo quidem amplius opus esse videatur. Poëtas vero vatesque fabulosos passim caecos ferri item clarissimis Homeri, Demodoci, Thamyrae exemplis constat [12]), quorum postremum jam Parthenius cum Daphnide comparavit; cujus caecitatis quanquam in aliis alia ratio redditur, illud tamen commune habet, ut animum ab externae speciei varietate ad internos sensus memoriaeque arcana revocatam significet; nec si alias personas mythicas excaecari videmus, quibus facultas poëtica non tribuitur, ut Oedipum vel Orionem, in summa calamitatis similitudine hoc discrimen negligendum est, quod his per vim oculi eripiuntur, illorum visus sola numinis voluntate perit. Cum caecitate autem, qua Daphnin tanquam poëtam tantum praeditum vidimus, etiam culpam tollendam esse apparet, quam et Theocriti ignoratio prodit a ceteris ideo tantum adjectam esse, ut justam poenae iraeque divinae causam memorarent, et ipsa, quantum equidem sentio, puellae regiae obscuritas fraudis arguit; cujus si genuina fabulae forma memoriam continuisset, nomen quoque qualecunque aut ipsius aut certe patris tradidisset; nunc universa atque incerta *μιᾶς τῶν κατὰ τὴν Σικελίαν βασιλίδων* sive *τινὸς θυγατρὸς βασιλέως* mentio ad eam potius nos aetatem remittit, quae in fabulis concinnandis rationem quam perspicuitatem sectari mallet neque iis contenta, quae facta esse accepisset, etiam quomodo fieri potuissent, ita explicare conaretur, ut simul justitiae divinae vel parceretur vel satisfieret [13]). Cujus studii insignissimum exemplar ipse Stesichorus praebet, qui

8) Philargyr. ad Virgil. Buc. V. 20: *Daphnis Mercurii filius pastor eximiae formae fuisse dicitur; hic dilectus a nympha Lyca fidem dedit, nullius se mulieris alterius concubitu usurum; sed fefellit; ob quod orbatus est luminibus; quod licet carminibus et fistula solaretur, non tamen diu vixit.*

9) Diodor. IV. 84; Sil. Italic. XIV. 462; Diomed. Gramm. p. 484. 29; cf. Welcker kl. Schriften T. I, p. 409. Marsyae magistrum in arte lyrica dixit Alexander Aetolus; cf. Schol. Theocr. Idyll. VIII.

10) Meleag. Epigr. 27. 2; Callim. Epigr. 23. 3. *Τὰ Δάφνιδος ἄλγεα* in proverbio sunt Theocr. V. 20.

11) Cf. Welcker kl. Schriften T. I, p. 37; Ambrosch de Lino, Berl. 1829. 4; Bach Hist. poës. eleg. Fuld. 1840. 4, p. 22; Brugsch die Adonisklage und das Linoslied, Berl. 1852. 8.

12) Cf. Nitzsch. erkl. Anmerk. z. Odyss. T. I, p. 192. II, p. 173. Phineo quoque *μαντοσύνην ἐγγυάλιξεν Λητοΐδης*, Apoll. Rhod. Argon. II, 180, ipsamque Lycurgi caecitatem (Iliad. VI. 130) ad Apollineam ejus naturam revocare licebit, de qua v. Schwenck Mythol. Skizzen p. 55. 83.

13) Cf. Nitzsch in Allg. Monatschr. 1850, p. 306 sqq. vel die Sagenpoësie d. Griechen p. 506 sqq.

quum in nobili carmine Ἰλίου περσίδι Helenae adulterium ex epicorum auctoritate narrasset, mox ipse, ut fertur, caecitate correptus Palinodiam cecinit, qua veteris fabulae simplicitatem ad artificiosissimi commenti miraculum detorsit omnemque lapidem movit, ne Helena, quam deam esse cum maximo suo damno cognovisset, ullo modo peccasse videretur[14]; qui si de Daphnide quoque hoc tantum fama proditum invenerat, adolescentem, cui Nymphae matrimonium castitatem injungeret, fatali amore periisse, facile eo delabi poterat, ut hunc amorem non divinitus immissum sed humana culpa conciliatum statueret eoque consilio nescio quam puellam innominabilem immisceret, quae omnem tristissimi exitii invidiam in ipsius Daphnidis caput transferret. Immo si quid hariolari licet in re ancipiti, nec bucolico carmine, ut Kleinio, nec amatorio, ut Welckero placuit, sed in ipsa Palinodia Stesichorus hanc Daphnidis fabulam tractaverat, ubi quum se incertum re vera an per figuram oculis privatum esse jactaret[15], pronum erat aliorum poëtarum exempla comparare, qui eandem poenam commeruissent; idque ipsum argumento esse crediderim, Timaeum quoque Parthenii ex Stesichoro hausisse, quia is Thamyram cum Daphnide commisit; sive maxime peculiare de Daphnide ille carmen condidit, eodem certe sensu, quo etiam Pindarus numina ab humanarum perturbationum consortio immunes praestare[16] conatur, induci poterat, ut adolescentem, quem vulgaris fabula desiderio tantum inexpleto deorum iram expertum esse nosset, expleto potius debitam vindictam incucurrisse fingeret. Ne enim ipsam cujus amore Daphnin periisse Theocritus innuit ξενέαν ad puellam illam regiam referamus[17], ipse posterioris fabulae tenor prohibet, qua haec illum potius expetiisse fallacique demum ebrietate ad sui cupidinem concitasse traditur; quae quum ita sint, ne si proprium quidem nomen in ξενέας vocabulo lateret, ad hanc transferri posset, nedum appellative, qua vi peregrina illa mulier omnibus potius popularibus puellis opponitur. Atque hanc rationem unice veram esse jam ante hos octo annos contendi et nunc firmiter retineo, quanquam inter novissimos editores solus Wordsworthius appellativum tuetur[18], reliqui in majuscula litera consenti-

---

14) Cf. Geel in Welckeri Mus. Rhenan. 1838, T. VI, p. 1 sqq. Bakhuysen van Brink in Symbol. lit. Amstel. 1843, T. V, p. 119 sqq. Hoff de mytho Helenae Eurip. L. B. 1843. 8, p. 16 sqq.

15) Plat. Phaedr. p. 243; cf. Kleinium p. 96.

16) Cf. Bippart Theolog. Pindar. p. 11 sqq.

17) Ut Klausenio videtur, Aeneas u. d. Penaten p. 528.

18) »Ut κεντός III. 20, XV. 95, XVI. 10, XXVII. 4 pro κενός, ita ξενέας pro ξένης adhibuerit Theocri-

unt Zieglerusque adeo ex Meinekii sententia *Ξενίας* recepit, quam lectionem in codicibus quoque nonnullis exstare mirum non est, siquidem jam veterum grammaticorum plurimi nomen proprium interpretati sunt [19]), cui hanc formam rectius convenire masculinum *Ξένιος* docet, cujus auctor Euphorion laudatur [20]): eandem tamen quum plerique codices respuant, haud scio an hoc ipso argumento ad appellativum remittamur, quod simul solum, si recte intelligatur, vim fabulae ac tenorem aperiet. Nam qui proprium amplectuntur, quam tandem puellam eo nomine insigniunt? Nimirum Nympham, quae Daphnidi adolescenti nupsit. At hac potitus est; quomodo ejus desiderio moreretur? Vero, at fidem, inquiunt, fregit; quo facto poenitentia captus fugientem persecutus est, quumque gratiam ejus reconciliare non posset, periit [21]). Audio; at primum quidem qui fidem violatam narrant, iidem poenam adjiciunt eam, quae minime omnium errare eum per montes saltusque pateretur; deinde etiam si poenitentia quoque contabescere poterat, in primo Idyllio, ubi ipsa haec tabes illustrissime describitur, nihil minus quam poenitentem, sed contumacem potius deprehendimus; postremo ipsum verbum *ἠράσσατο*, quo nostrum Idyllion utitur, principium potius amoris quam diuturnum desiderium declarat, cui significando *ἐπόθησεν* aptius erat; quod si sua cujusque scriptoris mensura est, cui alienas immisceri haud decet, Theocritus quamvis aliam puellam potius quam nuptam Daphnidi ante oculos habuit. Idque etiam Servius suadet, qui licet tralaticiam, hoc est ut nos arbitramur Stesichoream fabulae formam probe rescisset, eidem tamen altero loco [22]) pro filia regis, a qua

---

tus«. Adde *ἀδελφεάν* Pindar. Nem. VII. 4; ut jure mireris Buttmanni levitatem, qui in Friedem. et Seebod. Miscell. crit. T. II, p. 40 insolita, ut jactat, vocabuli forma offensus ne in proprio quidem nomine acquievit, sed duabus puellis aemulis confusis ex Parthenii Echenaide prorsus inauditam *Ἐχέναν* procudit!

19) Cf. Scholia, quae tamen ipsa ambiguitate manifestam grammaticorum ignorantiam produnt: *Ξενέας ὄνομα κύριον ὡς τὸ Κινέας· ἀπέδοσαν δέ τινες τῆς ἐκ Κρήτης ξένης· ἢ γράφεται τῆς ξανθᾶς, ὡς ἔν τισιν. Ἄλλως. μία τῶν νυμφῶν ἡ Ξενέα ἢ ὄνομα κύριον. Μοῦσα ἦν ἡ Ξενέα*: postremo doctissimus omnium *γυναικός τινος* interpretatur!

20) Cf. Schol. Iliad. V. 39. Euphorionem tollit Meinekius Anal. Alexandr. p. 23, ipsius tamen nominis proprii auctoritatem agnoscit.

21) Cf. Schol. Theocrit. I. 66 et VIII. 92: *ἱστοροῦσι γὰρ αὐτὸν ἀγαπηθῆναι ὑπό τινος νύμφης, ἣν Σωσίθεος Θάλειαν καλεῖ· παρακελευσαμένης δὲ αὐτῷ ἄλλῃ γυναικὶ μὴ ὁμιλεῖν, μὴ τηρῆσαι τὴν παραίνεσιν αὐτῆς· ὅθεν ὁ μὲν Θεόκριτός φησι τὴν νύμφην ἀποστῆναι αὐτοῦ, αὐτὸν δὲ ἀντιμεταβαλόντα τὸν ἐκείνης ἔρωτα ὑπὸ λύπης μεταλλάξαι τὸν βίον*: sed ut haec omnia interpretando potius ex ipsius Theocriti verbis collecta quam fama vel testimonio aliquo accepta esse ea quae statim subjecit satis arguant: *ἐκτὸς εἰ μὴ αὐτὸν μέν φησιν ἀπείπασθαι αὐτήν, ἄλλης δὲ ἐρασθῆναι*!

22) Ad Virgil. Buc. VIII. 68: *hunc igitur quum nympha Nomia amaret et ille eam sperneret et Chi-*

Daphnis ob pulchritudinem appetitus esset, *Chimaeram*, ut loquitur, substituit, quam ultro ille spreta Nomia Nympha secutus sit; utque Pipleam mittam, quam eodem teste alii a Daphnide amatam et per totum orbem in Phrygiam usque quaesitam esse memorabant [23]), ipsa illa Chimaera vide ne peregrina nostra sit, cujus quum aliud nomen proprium suppetat, vel propter hanc causam apud Theocritum appellative potius intelligenda erit. Quanquam ne illud quidem recuso, si quis *Chimaeram* quoque apud Servium appellative dici existimet eodem sensu, quo hodieque Galli horumque exemplo nos quoque speciem vanam atque inanem sine externa veritate cogitatione tantum conceptam chimaeram appellamus, qui vocabuli usus quam altas radices agat, quamvis sedulo quaerens invenire non potui; hoc tamen utut est, puellam, quam frustra Daphnis per montes silvasque quaereret, peregrinam hoc est incognitam et fortuito adspectu oblatam fuisse manifestum est, neque aliter, opinor, fieri poterat, ut salva verecundia infelix Daphnidis amor in pastoricii carminis celebritatem abiret. Quippe si popularem ac vicinam puellam deperibat, cujus adspectu ac colloquio quotidiano frui posset, ut hujus amore contabesceret, aut ipsum sperni a puella necesse erat, aut — quum talis fastidii nullum apud quenquam scriptorem ante Nonnum [24]) vestigium exstet — hac sola aegritudine laborabat, quod per fidem Nymphae datam ab ejus concubitu reique Veneriae consuetudine arceretur; at, opinor, is non desiderii sed libidinis morbus fuisset, cui exornando celebrandoque ne summam quidem rusticitatem suffecisse existimo; utque concedam in hujusmodi abstinentia describenda hodierni poetae acumen sibi plaudere posse, antiqua morum simplicitas castitatem externis tantum

---

maeram potius sequeretur, ab irata Nympha amatrice luminibus orbatus est, deinde in lapidem versus; nam apud Cephaleditanum oppidum saxum dicitur esse, quod formam hominis ostendat.

23) Ibidem: *alii hunc Daphnin Pipleam amasse dicunt, quam quum a praedonibus raptam Daphnis per totum orbem quaesisset invenissetque in Phrygia apud Lytiersem regem servientem* etc. Auctorem haec Sositheum Alexandrensem habere videntur, cujus *Δάφνις ἢ Λιτυέρσης* laudatur ab Athen. X. 8, *Δάφνις* solus ab Anon. de Mulier. in Westerm. *Παραδοξογρ.* p. 220; nec probo quod Heerenius Bibl. d. a. Litt. T. VII Ined. p. 12 et Eichstadius Dram. com. sat. p. 34 hujus Daphnin a pastore Siculo prorsus alienum habent; interiorem tamen utriusque fabulae nexum non magis agnosco quam Welckerus Griech. Trag. p. 1256: *dem Sositheos scheint eigen, dass er die zwei völlig verschiedenen, nur beide ländlichen Sagen von Lytierses und Daphnis mit einander in Verbindung sezte, um den Herakles zum Rächer des guten Daphnis an dem Unhold Lytierses zu machen.*

24) Dionys. XV. 307, quibus utitur Lennepius p. 176: *ἃ πόσα Δάφνις ἄειδεν ὁ βουκόλος· ἀμφὶ δὲ μολπῇ παρθένος ἀντιβίεσσιν ἐκεύθετο μᾶλλον ἐρίπναις, ποιμενίης φεύγουσα βοῆς μέλος*: at reliqui *ab omnibus feminis amatum* potius narrant; cf. Serv. ad VIII. 68 et Parthen. sup. not. 4.

non internis suppliciis redimi volebat multoque facilius fidem corpore violatam mente quam mente violatam corpore servari posse credebat. Quorum alterum Stesichorus amplexus est, ut Daphnis quamvis corpore noxius mentis tamen culpa liber post brevem poenam immortalis laudis decore insigniretur; alterum quum ne pastores quidem nedum Theocritum canere aut verecundia aut ipsa morum ratio pateretur, eam fabulae constitutionem, a qua vetiti concubitus et culpa et poena abfuit, aliter informare vix licebit, nisi ut infaustum illud desiderium, quo Daphnin periisse constabat, non ad indigenam sed ad absentem puellam spectasse statuamus, quam propter hanc ipsam causam, quia prorsus ignota et peregrina erat, proprio nomine appellari nec attinebat nec oportebat.

II.

De Idylliis sexto octavo nono et epigrammate secundo.

Hunc ipsum autem puellae peregrinae amorem antequam pluribus persequimur, paucis etiam de matrimonio Daphnidis et Nympha illa disputandum est, quae adolescentulum amore suo complexa fatali interdicto [25]) adstrinxisse traditur; quam etsi jam Stesichorum ex populi ore accepisse verisimile est, inter eos tamen, qui exstant, princeps itidem memorat Theocritus in fine Idyllii octavi, ubi narrato Daphnidis bubulci et Menalcae pastoris certamine haec subjungit:

κὴκ τούτω πρᾶτος παρὰ ποιμέσι Δάφνις ἔγεντο
καὶ Νύμφαν ἄκρηβος ἐὼν ἔτι Ναΐδα γῆμεν.

Neque in his illi cum ceteris auctoribus quicquam controversiae intercedit; qui quod praeterea de interdicto vel jurejurando addunt, Theocriteae narrationi haudquaquam repugnare paulo post videbimus, nec quod inter se de nomine puellae discrepant, Theocritum tangit, cujus Ναΐς universum genus, ex quo Nympha fuerit, indicat [26]); postremo aetatem hominis eandem quam Theocritus et hic et sexto Idyllio (v. 3 ἡμιγένειος) verbis tantum pluribus Aelianus describit: ἠράσθη αὐτοῦ Νύμφη μία καὶ ὡμίλησε καλῷ ὄντι καὶ νέῳ καὶ πρώτῳ ὑπηνήτῃ, ἔνθα τοῦ χρόνου ἡ χαριεστάτη ἐστὶν ἥβη τῶν καλῶν μειρακίων. De nomine unus Ovidius Naida pro proprio habuisse videtur Art. Am. I. 732:

---

25) Ita enim et Parthenius et Diodorus loquuntur: προειπεῖν, ἐὰν ἄλλῃ τινὶ πλησιάσῃ, στερηθήσεσθαι τῆς ὁράσεως: Aelianus demum συνθήκας, Servius *jusjurandum* adjecit.

26) Eurip. Helen. 187: *Νύμφα τις οἷα Ναΐς*: cf. Pausan. III. 25. 2 et VIII. 4. 2 pluraque apud Unger. Anal. Propert. p. 25.

pallidus in lenta Naïde Daphnis erat,

sed ut jam *lentae* epitheto ostenderet se praeter nomen nihil ex tota fabula cognovisse, si quidem ceteri omnes non lentam vel languidam ad amorem Nympham, sed eam potius describunt, quae sive forma pueri sive canendi facultate capta ultro illius amore exarserit; iidemque tantum abest ut in Naidis vocabulo acquiescant, ut Philargyrius *Lycam*, Servius *Nomiam*, Sositheus ut videtur *Pimpleam* sive *Thaliam* [27]), Timaeus denique apud Parthenium *Echenaïda* appellent, quorum nominum postremum ne quis librarii tantum errore ex Theocriti Naide ortum esse suspicetur, et aequalem Theocrito Timaeum fuisse recordetur, et peculiarem Ἐχεναΐδος significationem recogitet, quam ne in ficticio quidem nomine fortuitam esse inferius demonstrabimus. Quanquam quo nomine cunque fuit, semper Nais fuit, hoc est Nympha fluvialis, sive ut apud Theocriti interpretem est, Musa [28]), quod ne quis ab illa significatione alienum putet, Musas et Nymphas quum omnino perinde habitas esse constat, tum apud Epicharmum poëtam Siculum Musae fluviales claris verbis commemoratae sunt [29]); quod si canendi maxime facultate hoc matrimonium meruisse traditur, certe non extremo loco de musica quoque Nymphae indole cogitare licebit. At enim homo, qui Naidis sive fluvialis Nymphae matrimonio dignus habebatur, in summo divini conjugii honore hoc certe incommodo utebatur, ut conjugem non tanquam matrem familias in domum suam introduceret, sed ipsa utriusque domicilii natura ab illius consuetudine ita sejungeretur, ut nisi raro et parce convenire inter se possent; neque alia opinor causa fuit, quapropter illa Daphnin aut moneret aut jurejurando, ut apud Servium est, adstringeret, ne cum alia concumberet, quam quia Naidis maritus prope abesse a caelibatu videretur, quam conditionem nisi summa temperantia usus aegre toleraret. Neque alia causa fuit, cur Peleus Nereidis maritus hac prae ceteris laude apud veteres praedicaretur, quod σωφρονέστατος id est temperantissimus esset [30]); qui postquam Achillem ex Thetide suscepit, neque hanc amplius secum domi ha-

27) Cf. sup. not. 4 et 21—23. Nomia fortasse ex Theocr. Idyll. XXVII. 40 arrepta est, ubi personatus Daphnis matrem suam *Νομαίην* appellat; nec Lycae nomen ab illius patre *Λυκίδᾳ* alienum est.

28) Cf. sup. not. 19 ipsamque Servii Pipleam sive Pimpleam, quam cum Sosithei Thalia eandem fuisse certum est; adde Klausen. Aeneas p. 523.

29) Eudoc. p. 294, cujus testimonio ut defungeretur, frustra se torsit Godofr. Hermannus Opusce. T. II, p. 288 sqq.; cf. omnino Voss. ad Virgil. Ecl. VII. 21 et ad H. in Cerer. p. 121, Buttmann. Mythol. T. I, p. 273, Creuzer. Symbol. T. III, p. 60 sqq.

30) Cf. Plat. Republ. III, p. 391 inque primis Aristoph. Nubb. 1068: *καὶ τὴν Θέτιν γ' ἔγημε διὰ τὸ*

buisse neque ut Telamon ipsius frater ex pellice aliqua liberos procreasse videtur; eodemque exemplo haud scio an Daphnidis cum Naide matrimonium non ad mortalis conjugii similitudinem existimandum sed ita potius intelligendum sit, ut Daphnis semel in Nymphae consuetudinem receptus per reliquum vitae tempus, quum neque aliud conjugium inire neque in dea mariti jure porro uti posset, sciens volensque caelibatum egerit. Atque hanc ejus vel naturam vel conditionem etiam venationis studium prodit, quo Dianae, castitatis praesidis, cultum cum musica conjunxit [31]), quarum utriusque instrumenta Theocritus cum in epigrammate secundo Pani dedicantem proposuit:

> Δάφνις ὁ λευκόχρως, ὁ καλᾷ σύριγγι μελίσδων
> βουκολικοὺς ὕμνους, ἄνθετο Πανὶ τάδε,
> τοὺς τρητοὺς δόνακας, τὸ λαγώβολον, ὀξὺν ἄκοντα,
> νεβρίδα, τὰν πήραν, ᾇ ποκ' ἐμαλοφόρει:

neque levem in ipsius historia hanc morum partem vel poëtis vel mythographis visam esse inde apparet, quod canum ejus nomina ut Actaeonis digna habuerunt quae posteritati traderent [32]); eodem tamen studio, ut Hippolytus Phaedrae, quam et ipsam cum Venere conjunctissimam videmus [33]), ita Daphnis Veneris iram in se concitavit, quae quum animum ejus contra popularium puellarum illecebras obfirmatum invenisset, ad extremum peregrinae illi desiderium injecit, cujus desperatione ut contabuerit, et septimum Idyllium significavit et primum praeclarae descriptionis coloribus amplius exornavit. Sed de hoc mox data opera disputabimus; nunc ne quid omisisse videamur, quod apud Theocritum ad Daphnin pertineat, de nono quoque Idyllio pauca verba faciemus, quod etsi pariter ac sextum nihil

---

σωφρονεῖν ὁ Πηλεύς, ubi tamen apposite ad nostram sententiam respondetur: *κᾆτ' ἀπολιποῦσά γ' αὐτὸν ᾤχετο*, nimirum *εἰς βένθεα ἁλὸς παρὰ πατέρα γέροντα*, Iliad. XVIII. 36.

31) *Venationis et musices peritissimus*, Serv. ad Buc. V. 20; cf. Diodor. IV. 84: *μυθολογοῦσι δὲ τὸν Δάφνιν μετὰ τῆς Ἀρτέμιδος κυνηγετεῖν, ὑπηρετοῦντα τῇ θεῷ κεχαρισμένως καὶ διὰ τῆς σύριγγος καὶ βουκολικῆς μελῳδίας τέρπειν αὐτὴν διαφερόντως*, quemque eodem refert Klausenius p. 526, Virgil. Buc. V. 43: ***Daphnis ego in silvis*** etc.

32) Aelian. Hist. Anim. XI. 13; cf. Tzetzes Chiliad. IV. 261:

> *βουκόλῳ δ' ὄντι Δάφνιδι γένει Συρακουσίῳ*
> *πέντε συνετεθνήκεσαν, κλαύσαντες πρῶτα, κύνες.*

33) Schol. Eurip. Hippol. 25: *Ἀφροδίτης ναὸν ἱδρύσασθαι τὴν Φαίδραν φασίν· ἐκάλεσε δὲ Ἀφροδίτην ἐφ' Ἱππολύτῳ, ἣν καὶ Ἱππολύτειαν καλοῦσι*: cf. Most de Hippolyto Thesei filio, Marb. 1840. 8, p. 26 sqq., Schmidt in Ritschl. Mus. Rhenan. 1850, T. VII, p. 52 sqq., Jahn archäol. Beitr. p. 305 sqq., Wieseler in Schneidew. Philol. 1851, T. VI, p. 337 sqq.

nisi pastoricii certaminis imaginem continet, in quo Daphnidis nomen ut Menalcae fortuito tantum pro quovis bubulco positum esse dixeris, tamen hoc ipso in genere et per se comparationem cum octavo praebet et haud scio an hac comparatione diligentius instituta etiam difficultatibus illis tollendis inserviat, quibus octavum Idyllion laborare plerique interpretes haud immerito judicarunt. Mitto singulos versus, in quibus criticorum nasus adhaesit, neque is sum equidem, qui elegiacos versus bucolico carmini minus inseri potuisse arbitrer [34]), quam tragoediae, in qua Euripides Andromacham integrum carmen elegiacum recitantem introduxit [35]); sed et ipsa personarum dispositio ancipitem lectorem tenet, et quamvis illud disponendo efficere possimus, ut Daphnidis persona sibi constet, in Menalca certe duplex difficultas remanet, quod qui in principio carminis oves tantum pascit, in extremo certamine haedis pariter atque ovibus cavet, quodque is, qui modo puellae se amore jactavit, paulo post puerili metu lupum deprecatur;

μηδ' ἀδίκει μ' ὅτι μικκὸς ἐὼν πολλαῖσιν ὁμαρτέω [36]).

Horum igitur utrumque vide ne nono potius Idyllio conveniat, ubi puer Menalcas vel in praemii exiguitate apparet, *στρόμβου καλῷ ὀστράκῳ*, quo adultum pastorem vix habiturum fuisse arbitror quid faceret, idem vero ibidem claris verbis se *πολλὰς μὲν ὄϊς πολλὰς δὲ χιμαίρας* habere jactat itaque simul et *αἰπόλος* et *ποιμὴν* est, quod in octavi Menalcam, qui clare ab *αἰπόλῳ* distinguitur, non cadit; quod si praeterea *πυμάτας* illius *ᾠδᾶς* metrum respicimus, quod non octavi sed noni demum Idyllii certamini convenit, non opinor temere judicabit, qui extremam hanc certaminis partem mature sane, at contra poëtae voluntatem a nono Idyllio ad octavum translatam esse statuerit. Quid quod etiam longius progredi hariolando licebit, ut, quum in ipso noni Idyllii principio mirum in modum bis praecedere Daphnis, subsequi Menalcas jubeatur, in versu sexto, qui insigni lectionis varietate antiquam corruptelam arguit, sic fere Theocritum scripsisse suspicemur: *ἄλλοκα δ' αὖτις ὑφαγήσαιτο Μενάλκας*, quod postquam translata altera certaminis parte, in qua primae Menalcae partes sunt, sensu caruit, grammatici suum illud

34) Non arbitratus est Hermannus Opuscc. T. V, p. 87, cujus judicium secutus Ahrensius totum carmen elegiacum cancellis seclusit eoque facto unitatem Idyllii commode restituit, eadem tamen opera Theocritum egregio carmine privavit; cujus equidem honori simplicius consuli posse puto.

35) Androm. v. 103—116; cf. Bach de lugubri elegia spec. II, p. 20.

36) Verissime hoc Hermannus: *quantum ab hoc distat carmen elegiacum, in quo alter aperte se puerum Milonem, alter puellam amare fatentur; hinc evidentissime intelligitur, eosdem quidem illos pueros esse, Menalcam et Daphnin, sed eos aliquot annis adultiores quam in carmine hexametro.*

ἄλλωθεν δὲ ποτικρίνοιτο vel ὑποκρίνοιτο substituerint. Sed haec in ambiguo relinqui praestat; certior dubitandi locus est in ipso puerorum colloquio in Idyllio octavo, ubi merito miramur Daphnin, qui modo vitulum in praemium obtulerat, mox mutata sententia ad fistulam descendere ejus, quam modo adversarius promiserat, prorsus similem, cujus ne virtutes quidem alias quam Menalcas in sua jactare potest, unde fieret ut, uter vicisset, nihil praestantius quam quod ipse in certamine posuisset domum referret; quae quum ita sint, interpolationis suspicio ut quum maxime excitatur. Et Ahrensius quidem v. 11—16 cancellis circumscripsit, quo vituli mentionem tolleret; at enim aliam jam ante v. 17 a Daphnide conditionem latam fuisse particulae ἀλλὰ τί μὰν manifesto, ut opinor, indicant [37]; mihi igitur satius videtur versibus 21 et 22 sublatis etiam ampliorem fistulae descriptionem: πρώαν νιν συνέπαξ' ἔτι καὶ τὸν δάκτυλον ἀλγέω

τοῦτον, ἐπεὶ κάλαμος ἐ διασχισθεὶς διέτμαξεν,

Menalcae continuari vel si malueris ante v. 20 inseri, ut Daphnis v. 25 demum pronunciet:

ἀλλὰ τίς ἄμμε κρινεῖ; τίς ἐπάκοος ἔσσεται ἁμέων;

in caprarii autem judicio v. 85 singularem restitui, quem Scholiasta quoque respexit: ἆθλον καὶ αὐτοῖς ἡ σύριγξ ἀπέκειτο, ἣν ἐπιδίδωσιν ὁ κριτὴς τῷ Δάφνιδι ὡς νικήσαντι: non illum quidem, ut e Scaligeri conjectura Valckenarius scripsit, genitivo casu τᾶς σύριγγος, quam structuram verbi λάζεσθαι usus respuit, at ipsum accusativum cum exigua verbi sequentis mutatione, quam haud scio an vel sententia magis commendet:

λάσδεο τὰν σύριγγα· νενίκακας γὰρ ἀείδων.

In elegiaco denique certamine, ne longus sim, omnia quotquot exstant sarta tecta fore arbitror, modo v. 49—52, qui nunc, postquam propter argumenti similitudinem proxime post Daphnidis verba de Milone positi sunt, Menalcae tribuuntur, ad Daphnidem potius translata post v. 56 collocaverimus eoque facto et huic Milonem integrum simulque Menalcae σύννομα μᾶλα reddiderimus, quae cum bubulci persona, cui vulgo adscripta sunt, aegre conveniunt. Nam quod et aliis et novissime Zetzschio [38]) placuit, pastores non ex sua ipsorum conditione sed ex ficticiis amoribus amoebaei cantus argumenta depromere, id fieri posse haudquaquam

37) Cf. Stallb. ad Plat. Symp. p. 206 E.

38) Joh. Gottl. Zetzsche: Ad amoebaeorum carminum leges denuo in examen vocatur locus Theocr. Id. VIII. 33—60, Altenb. 1835. 4.

nego; non tamen adeo aut necessarium aut proclive est, ut si suis quisque vel moribus vel amoribus constare possit, alienorum potius interpres fingendus sit; utque *ποιμένος* v. 44 et *τὰς βῶς βόσκοντος* v. 48 notatio nos ad ipsorum qui canunt personas remittit, ita iterata Milonis mentio etiam constantiam aliquam singularumque stropharum nexum arguit. Atqui pastorem puellam, bubulcum puerum in deliciis habere ipsi quos laudavi versus ostendunt; quod si *σύννομα μᾶλα* v. 56 et *παρθενικᾶς πόθος* v. 59 utrumque quo continentur tetrastichon Menalcae assignant, Daphnidi vel ut alternarum stropharum numerus constet, non prior tantum sed etiam posterior Milonis laus concedi debet; neu quis hircum haedosque rectius a Menalca quam a Daphnide compellari existimet, in hoc Idyllio illum non magis quam hunc caprarium habendum videri supra monui, immo, quantum equidem sentio, aut ipse pulcher Milo capras pascit, aut ejus gregis pater, quem arbiter certaminis secum duxit, ad Milonem mittitur, quo artificio etiam illum ipsum in suas partes vocare haud inepte Daphnis videatur. Sed de exitu certaminis causisque victoriae, quam Daphnidi caprarius adjudicat, difficile judicium est, quum ignoremus, ecquid post extremos Menalcae versus exciderit an non; illud modo tenendum est, de quo miror secus sensisse Godofredum Hermannum [39], puellae amorem quum a tota Daphnidis indole tum ab hujus Idyllii partibus, quae quidem in hunc cadant, prorsus alienum esse utque ipse Hermannus *Ναΐδος* nomen, quod Meinekius intrudere voluit, ab amoebaeo carmine procul arcuit, ita nihil Daphnidi tribui licere, quod praeter puram pulchritudinis admirationem ullum libidinis vestigium contineat. Solus Menalcas *γυναικοφίλας* est, Daphnis Aristophanei illius exemplaris instar *σώφρονι ἡλικιώτῃ* gaudet, nec vel vocanti puellae respondet, sed quod idem Aristophanes in *σωφροσύνης* argumentis ponit, *εὐτάκτως ἐν ταῖσιν ὁδοῖσι βαδίζειν* [40]), ille presse sequens *κάτω βλέψας*, inquit, *τὰν ἁμετέραν ὁδὸν εἷρπον*: eodem igitur, unde profecta est, oratio nostra redit, ut etiam Naidis matrimonium, quod extremus Idyllii versus testatur, non amoris sed *σωφροσύνης* praemium habendum sit, neque antequam ipso frigore Veneris iram meruisset, muliebres amores expetiisse potius quam formae illecebris et musica facultate hos in se concitasse videatur.

---

39) Opusc. T. V, p. 84: *hi versus* (57—60) *ut ex postremo eorum patet, non possunt Menalcae esse, sed, si quidem ad hoc carmen pertinent, Daphnidis sunt.*

40) Nubb. v. 965; cf. Becker. Charicl. T. I, p. 58.

III.

De Idyllio primo.

Jam vero ad tabem illam fatalemque amorem progrediendum est, cujus licet et causam et exitum jam septimum Idyllium significaverit, auctorem tamen et decursum primum demum aperit, quanquam ne hujus quidem ratio et argumentum plene intelligi potest, nisi eorum recordamur, quae illic ex ipsius, ut suspicatus sum, populi ore tanquam totius fabulae summam Theocritus proposuit. Nimirum pereuntem amore Daphnin conspicimus; quam autem amet, in primo Idyllio non legimus; eam enim puellam, quae, ut v. 83 est,

πάσας ἀνὰ κράνας, πάντ᾽ ἄλσεα ποσσὶ φορεῖται,

quamvis illum amare videatur, vicissim ab illo amari neque ipse Theocritus indicat, nec verisimile esse jam ad septimum Idyllium exposui, si quidem is, qui parati amoris abstinentia tabescat, non desiderio sed libidine aegrotare videatur, quem morbum et a persona Daphnidis alienum antiquitas habuit, et sicubi traditum accepisset, vel ludibrio quali hic Priapus utitur, vel si maxime temperantiam admiraretur, quavis alia laude potius quam flebili carmine dignum habuisset. At longe alia ejusdem amoris causa est, si post diuturna popularium amorum fastidia peregrinam et ignotam speciem semel ac fortuito oblatam Daphnidis animum cepisse statuimus; hanc enim non fruendi tantum cupidine sed vero et interno desiderio persequi poterat; eandem vero si primo Idyllio duce a Venere irata illi objectam esse credimus, et ipsa illa peregrinitas et altum Daphnidis de muliere silentium commodissime explicatur, neque in singulis hujus Idyllii partibus quicquam, quod ad ipsam historiam Daphnidisve mores pertineat, obscurum manebit. Sola Priapi oratio, quae v. 81 instituitur, primo adspectu habet quod offendat; quae adeo Doederlino ita demum in ordinem redigi posse visa est, ut plurima ejus pars ad Mercurium Daphnidis patrem transferretur, quem quum Theocritus v. 77 primum venientem itaque Daphnin alloquentem fecerit:

τίς τυ κατατρύχει; τίνος ὤγαθε τόσσον ἐρᾶσαι;

Doederlinus eidem v. 86—91 tribuit, qui vulgo Priapo continuantur:

βούτας μὰν ἐλέγευ, νῦν δ᾽ αἰπόλῳ ἀνδρὶ ἔοικας·
ὠπόλος ὄκκ᾽ ἐσορῇ τὰς μηκάδας οἷα βατεῦνται,
τάκεται ὀφθαλμώς, ὅτι οὐ τράγος αὐτὸς ἔγεντο . .

καὶ τὺ δ' ἐπεί κ' ἐσορῇς τὰς παρθένος οἷα γελᾶντι,
τάκεαι ὀφθαλμώς, ὅτι οὐ μετὰ ταῖσι χορεύεις.

Qua in sententia hoc quidem verum est, Mercurium secretum aliquem filii amorem augurari, Priapum nihil tale suspicari; quod autem *Priapum, salacitatis magistrum, Daphnin salacitatis incusare inconstantiamve libidinis in eo increpare posse* negans, *patri potius convenire* ait, *ut quamvis lascivus alioquin tamen adversus filium graviorem monitoris personam sumat eique continentiam commendet,* nescio quomodo indigne Daphnin tractat, si quenquam praeter Priapum libidinis potius quam desiderii morbum in eo suspicari ipsumque secretum ejus amorem eo detorquere potuisse putat, ut ne una quidem puella eum contentum esse insimulet! Atqui hic, quod commode etiam Welckerus vidit p. 198, sensus est verborum, *καὶ τὺ δ' ἐπεὶ κ' ἐσορῇς κ. τ. λ.*, ut Daphnin hirci instar solum regnare inter puellas, solumque, ut nos in proverbio dicimus, *gallum in corte* esse velle suspicentur, quod quomodo pater filio, quem desiderio perire videt, exprobrare sustineat, aegre intelligas; Priapi alia causa est, qui quum altius desiderium praeter libidinem non norit, in eo, quem parato amore perfrui nolentem nihilominus tabescere amore videt, nihil nisi ipsam libidinis intemperantiam atque inconstantiam arguere potest. At etiam si hoc recte habet, tamen et illud quaerendum restat, quae sit *κώρα* illa, quam Priapus v. 83

πάσας ἀνὰ κράνας, πάντ' ἄλσεα ποσσὶ φορεῖσθαι

dicit, et v. 85 lectio, unde fere omnis antecedentium cum sequentibus nexus pendet, adeo vacillat, ut quid Theocritus scripserit, pro certo nemo facile affirmet [41]; quibus in salebris hoc saltem curandum est, ne falsa fabulae interpretatione seducti aut puellam illam cum una ex iis, quas adhuc cum Daphnidis historia junctas invenimus, confundamus, aut ipsam Daphnidis personam ad alienos mores detorqueamus. Atque hoc rectius quam plerique [42]) non Welckerus tantum sed

---

41) Proxime ad optimi cod. Mediol. 1 lectionem *ζάτεισα* accedet *ζατεῖ σ' ἆ*, quod participio certe pariter ac Hermanni imperativo vel infinitivo *ζατεῦσαι* praefero, quem qui recepit, non recogitavit abscondita tantum quaeri, non quae ante oculos palam versari dicentur; sive verbum requiri videatur, quod ad Daphnidis conditionem spectet, postliminio revocaverim Boissonadii conjecturam quamvis ab ipso posterius abjectam *ζαλοῖς ἆ*, quod quomodo a multis in *ζατοῖσα* corrumpi potuerit, sponte patet. Ahrensius quod nuper recepit *ζαλῶ σ' ἆ* et longius etiam a librorum vestigiis recedit et quia nimis universe dicitur languet.

42) Praeeunte scilicet Scholiasta, qui ad I. 65 haec annotavit: *μέλλει δὲ ᾄδειν, ὃν τρόπον ὁ Δάφνις μὴ δυνάμενος φέρειν τὸν τῆς Ξενίας τοὔνομα νύμφης ἔρωτα ἀπέλιπε τὸ ζῆν*, adque VII. 74 vel eo processit ut *ἀμφεπολεῖτο* ad *Ξενέαν* quippe *ψηλαφοῦσαν τὸν Δάφνιν* referret; quorum posterius etsi recentiores recte evitarunt,

etiam Doederlinus intellexit, puellam, quae per fontes omnes ac nemora oberret, *ξενέαν* Idyllii septimi esse non posse; haec enim amatur a Daphnide, illa hunc potius amare videtur eaque re mirationem facit Priapo, quod hic tam *δυσέρως* tamque *ἀμάχανος* sit, ut parata conditione frui nolit; ego vero ne Naida quidem, quam illi interpretantur, utpote nuptam Daphnidi amplector, sed si modo certam puellam intelligi opus est, qualemcunque aliam praefero, cujus amor a Daphnide spretus ipsam Veneris in hunc iram excitaverit. Quicquid enim Daphnis patitur, Veneris ira infligi certum est, irasci autem Venus nisi spreto amore non potest, neque ea est Venus, quae solam fidem conjugalem tueatur [43]), si haec in amore spernendo cerni volet; itaque praeter conjugem Nympham, quae Daphnin Veneris vim et Amoris illecebras spernere jussit, et speciem illam peregrinam, quae eundem fidei datae minarumque Nymphae immemorem in amorem pellexit, tertia aliqua puella requiritur, qua spreta Daphnis, dum Nymphae obsequitur, Venerem ita violavit, ut haec jam vano illius speciei amore vim suam in hunc exerceret eumque, qui paratis frui noluisset, inanis imaginis cruciatu torreret. Omnino Naidis per totum hoc primum Idyllion vestigium nullum apparet [44]); cujus matrimonium, ut superius diximus, in Daphnidis historia eam tantum vim habere videtur, ut externam quandam causam reddat, qua singularis illa veterique simplicitati inaudita castitas explicetur; in hac summa fabulae versatur [45]), hanc Venus ulciscitur, non autem ita ulciscitur, ut alius puellae desiderio captum ne conjugis

---

ad Xeneam tamen et ipsi reversi in eo tantum discrepant, ut aut regiam puellam Stesichori, ut cum Schol. I. 85 Klausenius p. 518, cum hac confundant, aut ut Ahrensius in Schneidew. Philol. T. VII, p. 414, quia Xeneam Daphnis amavit, hic quoque contra manifesta poëtae verba non puellam hunc sed ipsum puellam quaerere existiment.

43) Ita enim Welckerus p. 195, quanquam vacillando ipse sententiae suae difficultatem prodens: *sein Vergehen gegen Aphrodite muss darin bestanden haben, dass er entweder von der Nymphe sich losriss, welche wenigstens auch Theokrit am Schlusse der achten Idylle ihm in der ersten Jugend zum Weibe gibt, und fortan seinem eigenen Herzen folgen wollte, oder dass er, was das Wahrscheinlichere ist, in dieser Dichtung von Anfang an unempfindlich gegen die Nais gewesen, wenn er auch eine Zeitlang von ihr gehalten wurde; und in beiden Fällen dass er nachmals wagte ihren Lockungen den standhaftesten Trotz entgegenzusetzen.*

44) Hactenus recte vel Scholiasta ad I. 66: *ὅτι γοῦν νύμφης ἤρα ὁ Δάφνις, ἡ δὲ νύμφη ἀπεστρέφετο αὐτὸν διὰ τὴν πρὸς ἑτέρας γυναῖκας ὁμιλίαν· αἰνίσσεται ὅτι οὐδὲ αἱ λοιπαὶ ἐν Σικελίᾳ ἦσαν, ὅτε ὁ Δάφνις ἔθνησκεν*: cf. Klausen. l. c.: *die Nymphe hat sich nach seinem Treubruch von ihm abgewandt, hat mit allen Schwestern die Insel verlassen* etc.

45) Hoc quoque verissime vidit Klausenius p. 525 sqq., modo ne nostros mores secutus triumphantem hujus castitatis confidentiam descripsisset, cujus poena potius carminis argumentum est.

quidem amore uti velit — talis enim fastidii turpitudinem vel Venerem Graecorum recusare arbitror — sed ut vanam σωφροσύνης fiduciam, qua fidem conjugi et dedit et inter domesticarum puellarum illecebras servavit, non inexpleto tantum sed inexplebili desiderio luat. Quae quum ita sint, κώραν v. 82 nec conjugem Daphnidis interpretari possum, cujus fastidio ne vocabula quidem δυσέρως et ἀμάχανος recte convenirent, nec puellam a Daphnide amatam, qua praesente hic corporis tantum libidini inexpletae succumberet, sed eam intelligo, a qua expetitus fidem conjugi datam revera servasset; idque etiam sequentibus accommodatissimum est, ubi ita tantum se Daphnis, quamvis vim Veneris expertum, tamen non totum victum praedicare potest, si eum certe amorem, quo Venus eum proprie atque initio tentaverat, sprevit atque ei demum succubuit, quem illa ulciscendi causa excitaverat. Quam enim plerique interpretes cumque his ipse Doederlinus victoriam statuunt, ut *Daphnis in pugna adversus Venerem animo quidem victus sit, quoniam ad affectus Veneris tela diriguntur, idem tamen virtute, fide, constantia invictus sit*, et subtiliore distinctione nititur, quam quae illius aetatis pastoribus tribuenda sit, et nos, ut identidem dixi, ad eam morbi causam remittit, quae in sola corporis libidine sedem habeat; longe planior, ut opinor, et morbi et victoriae ratio apparet, si non ad eandem, sed ad duas puellas referuntur, quarum ob alteram, peregrinam illam, Daphnis animo pariter ac corpore aegrotet, in altera vero, κώρᾳ nostra, ita victor exsistat, ut quamvis etiam nunc, si illi potius se dedere quam peregrinam speciem captare velit, Veneris iram frangere possit, tamen hanc perpeti quam fidem datam frangere malit: ἀλλὰ τὸν αὐτῶ

ἄνυε πικρὸν ἔρωτα καὶ ἐς τέλος ἄνυε μοίρας.

Immo sic demum, distinctis inter se puellis, versibus 102. 103 lux affulgebit, ubi Veneri exprobranti:

τὺ θὴν τὸν Ἔρωτα κατ' εὔχεο [46]), Δάφνι, λυγιξεῖν·
ἦ ῥ' οὐκ αὐτὸς Ἔρωτος ὑπ' ἀργαλέω ἐλυγίχθης;

---

46) Ita per tmesin scribendum esse arbitror, ut κατὰ cum λυγιξεῖν potius jungatur. Verbum synonymo καταπαλαίειν satis alioqui tutum Hesychio certe notum et explicatum est T. II, p. 175: καταλυγίζεται δεσμεύεται στρέφεται: quod autem in sequente versu solum ἐλυγίχθης legitur, eodem more fit, quem Proleg. Platon. T. I, p. VIII a me annotatum nube exemplorum firmari licet; cf. Republ. I, p. 336 C ἐξαμαρτάνομεν — ἁμαρτάνομεν, IV, p. 444 D ἐμποιεῖ — ποιεῖν, V, p. 474 B διορίσασθαι — ὁρίζεσθαι, VII, p. 533 A διισχυρίζεσθαι — ἰσχυριστέον etc. Mox ipse nunc Ahrensius l. c. p. 417 Ἀΐδα scribendum vidit pro dativo Ἀΐδᾳ, quem eundem jam Idyll. II. 33 cum Meinekio sustulerat, neque obstat quod supra v. 63 εἰς Ἀΐδαν γε τὸν ἐκλελάθοντα vel infra v. 128 ἐς Ἀΐδαν ἕλκομαι ἤδη et XVI. 52 Ἀΐδαν εἰς ἔσχατον legimus; illic enim ubique

Daphnis haec respondet:

Κύπρι νεμεσσατά, Κύπρι θνατοῖσιν ἀπεχθής·
ἤδη γὰρ φράσδῃ πάνθ' ἅλιον ἄμμι δεδύκειν;
Δάφνις κεὶν Ἀΐδα κακὸν ἔσσεται ἄλγος Ἔρωτι.

Quae comminatio, quantum equidem sentio, in ejus ore, qui se propter eandem puellam, in qua Amoris vim fregisse vult, perire sentit, satis vana atque irrita est[47]); neque enim animo invictus corpore tantum occumbit, ut immortalem sui partem infestam Veneri mansuram jactare possit; sed ut recte Doederlinus ait *animo* Daphnidis victo, si qua victoria gloriari potest, corporis est, quod concubitu cum puella abstinuit; quodsi nihilominus corpus simul cum animo occumbit, tam plene, opinor, Amor vinceret, ut exiguus gloriationi locus relinqueretur, nisi alia praeterea hominis victoria exstaret, cujus memoria ne extrema quidem ejus clade exstingueretur. Nimirum memoriam castitatis suae ne sic quidem perituram esse vaticinatur, etiam si speciei divinitus oblatae desiderio pereundum sit, idque ipsum est *κακὸν ἄλγος Ἔρωτι*, quod etiamnunc Daphnis tanquam castus celebratur; quae tamen castitas si in ea tantum re cerneretur, quod puellam, quam amasset quaeque sui copiam ei fecisset, propter fidem conjugi datam tangere noluisset, vide ne is *Ἔρως*, cui succumbit, alius foret atque is, cui se etiam post mortem invidiae fore minatur. Atqui duos Amores distingui, alterum animi, alterum corporis, ab hujus fabulae simplicitate alienum est; puellae igitur distinguendae sunt, quarum alterius fastidio molestias Amori creaverit, alterius desiderio ejusdem vim expertus sit, neque committendum, ut ejusdem puellae amore, quae Daphnin *πάσας ἀνὰ κράνας, πάντ' ἄλσεα* quaesivit, ipse *ἀμφὶ ὄρος δονήσασθαι* narretur, non tamen ut eam inveniret, sed ut ejus consuetudine abstineret! Accedit, ut ei ipsi amori, quo perit, nunquam repugnare dicatur, immo, ut v. 92 clare

---

non locus sed ipse deus intelligitur, cujus domum sola praepositio *εἰς* satis declarat; cf. Iliad. VII. 312 et XXIII. 36: *εἰς Ἀγαμέμνονα*, ubi deinceps *κλισίῃσιν ἐν Ἀτρείδαο* vel *κλισίην Ἀγαμέμνονος ἷξον ἰόντες*, pluraque apud Schömann. ad Isaeum p. 363 vel Sintenis. ad Plutarch. Pericl. p. 305.

47) Verissime Welckerus p. 195: *die unglückliche Liebe als Strafe lässt ein vorhergehendes Verhältniss voraussetzen, worin Daphnis die Liebe hartnäckig zurückgestossen hatte; als blosse Aeusserung kann das was Aphrodite ihm vorwirft, er habe geprahlt, dass er den Eros niederwerfen werde, nicht angenommen werden, weil eine blosse Drohung der Art zu arglos ist und weil dieses Vorhaben durch die Liebe zur Xenea ja beschämt gewesen wäre;* eo magis autem miror eundem in tanta puellarum copia, *οὐκ ὀλίγων ἐπιμαινομένων αὐτῷ*, quibus resistendo Daphnis Amorem vincere potuerat, ad unam potissimum conjugem rediisse; cf. not. 43.

perscriptum legimus, *τὸν αὐτῷ ἄνυε πικρὸν ἔρωτα καὶ ἐς τέλος ἄνυε μοίρας:* huic igitur quod molestum sit, non facit; quod si nihilominus etiam post mortem se *κακὸν ἄλγος Ἔρωτι* fore minatur, aut praeterita aut futura spectat, quorum neutrum eo pertinet, ut eandem puellam simul amet et spernat; immo quam sprevit, eam nunquam amavit, sed hoc ipso amoris contemtu Venerem offendit, quam autem amat, eandem concupiscit, persequitur, nec quamvis irrito conatu desiderium deponit, in quo ipso Venerem iratam experitur, quoniam ne si velit quidem potiri amata specie potest; unde fit ut quicquid castitatis exhibuerit, ab hoc temporis momento alienum sit, in quo de desiderio tantum, non de abstinentia agitur. Postremo si haec morbi causa esset, quod obfirmata ad castitatem mente corpus inexpletae libidini — ne obscaenius appellem — succumberet, non appareret, quomodo Venus v. 136 sera misericordia moribundum *ἀνορθῶσαι*, *erigere*, voluisset, quod ita tantum potuisset, ut morbi causam tolleret: at enim haec, ut vulgo interpretantur, in Daphnidis tanquam Stoici philosophi potestate erat [48]); ex mea demum interpretatione haec quoque difficultas tollitur, si quidem Venus, quae peregrina specie oblata acerbum Daphnidi amorem injecerat, aut discussa imaginis illius vanitate animum ejus liberare aut revocata et repraesentata puella desiderium satiare poterat. Quorum utrum probabilius fuerit, irrita quaestio est: nos hoc solum firmiter teneamus, originem morbi apud Theocritum in Veneris ira poni, quae inexplebilem Daphnidi amorem injecerit, non in hujus contumacia, quamvis haec iram illam et excitaverit et nutriat; id ipsum tamen magni interest, quia sic demum summum carminis argumentum in amore Daphnidis ponitur, non ut apud interpretes est, in pugna hujus contra amorem, in qua Daphnin, si Theocritum fideliter sequimur, dudum occubuisse non Veneris tantum triumphantis verba, sed etiam Mercurii interrogatio ipsaque Priapi exprobratio docet, qui si omnia, quae codices ei tribuunt, dixit, multo clariora desiderii

---

48) Sensit hanc difficultatem etiam Klausenius, sed mira cavillatione elusit p. 329: *Indem Daphnis hierin der Aphrodite trotzt, muss es in seiner Macht gestanden haben sich ihr zu fügen; seine Sehnsucht muss also* (?) *eben auf das Mädchen gerichtet seyn, das ihn im Walde sucht. An die Nymphe hat er sein Verlangen in keuscher Treue binden wollen, Aphroditens Allgewalt geringschätzend; nun wird er von demselben an die gebunden, deren Verlockung ihn der Götterliebe beraubt hat. Die Götterliebe aber ist seinem Wesen gemäss; um dieser wieder würdig zu werden* (?) *thut er seinem Verlangen Gewalt an und stirbt darüber* (?) *hin. . . Als es zu spät ist, erbarmt sich die Göttinn und will ihn erleichtern . . aber durch diesen Sieg über seinen Trieb* (?) *erprobt er seine heroische Kraft, wird nun selbst in den Himmel erhoben und mit Opfern verehrt!*

quam abstinentiae signa in Daphnide deprehendit. Pugnae spectaculum, ubi *cupiditas in hominis animo cum religione ad internecionem usque* deproelietur tragoediarum amatoribus relinquo; popularis cantilenae ingenuitati, quam Theocritum ne Stesichorea quidem superstitione deformasse vidimus, haec potius fabula conveniet, ut Daphnis, Nymphae matrimonium meritus, castitate huic promissa Venerem offenderit, quae etsi voluntatem ejus frangere non posset, ad extremum tamen veris et praesentibus amoribus frustra tentatum in irritam peregrinae mulieris cupidinem injecerit, cujus ille desiderio nivis instar contabuit.

IV.

De sententia fabulae.

At id ipsum quid est quod *nivis instar* contabuisse, vel ut propius etiam interpretando accedamus, *diffluxisse* Daphnis traditur? Num imago tantum poetica, quae frigus ejus tandem aliquando amoris velut igne quodam emollitum in ipsius perniciem vertisse significet? Sit ita; sed ubi semel frigoris nomine Daphnin cum nive comparaveris, vide ne multo prius Daphnis nivis potius ipsiusque frigoris imago fuerit, inque poëticam illam comparationem idem cadat, quod saepe jam in Homericorum deorum epithetis similibusque fabularum veterum ornamentis observatum est, ut quae nobis nunc figurate tantum dici videantur, ad propriam ac naturalem significationem revocata ipsam numinis vim et indolem symbolicam contineant [49]. Atqui Daphnin quoque numinis loco habendum esse clare Servius docet *invocato Mercurio patre in caelum raptum* narrans, quo facto Mercurius *in eo loco fontem elicuerit, qui Daphnis vocetur, apud quem quotannis Siculi sacrificent*; unde quum non minor ipsius quam conjugis natura fluvialis sive aquatica appareat, nullus dubito quin in primo quoque Theocriti Idyllio verba v. **140. 141**:

χὠ Δάφνις ἔβα ῥόον, ἔκλυσε δίνα
τὸν Μοίσαις φίλον ἄνδρα, τὸν οὐ Νύμφαισιν ἀπεχθῆ,

quem vulgo satis coacta et structura et interpretatione ad descensum ad Ache-

---

49) Cf. quae de cognomine *βοώπιδος* Müllerus monuit Proleg. z. wiss. Myth. p. 263, item de *Πανδόκῳ* Emperius Opusc. p. 147, ejusdemque generis alia apud Uschold. Vorhalle T. II, p. 114 sqq. et in Zeitschr. f. d. Alt. 1842, p. 362, Vaterumque Linguistik u. Mythologie p. 78.

ronta referunt [50]), hoc ipsum Daphnidis profluvium spectant, quo nivis ad modum dissolutus decedendo quasi fontem effecerit inque undas abierit [51]). Sed hic finis tantum vitae est, in quo Veneris vi victus ipse quasi a se descivit naturamque mutavit; antequam liquesceret, diu frigebat, diu se continebat Venerisque ignes procul a se arcebat; nonne haec manifesta nivis, glaciei, denique hiemis imago est, quae sero demum et velut invita verno tempori cedit, quod ipsum apud Hesperias certe gentes Venerem patronam ac genetricem habuisse [52]) inter omnes constat? Hoc igitur, quamvis ab omni symbolicae mythorum interpretationis temeritate longissime remotus, pro explorato affirmare audeo, Daphnidis fabula hibernum quum totius terrae tum imprimis aquarum torporem describi; quem ne quis ab illarum regionum situ alienum habeat, comparasse sufficit, quae Horatii interpretes ad Carm. I. 9. 3 attulerunt, ubi sicut *silvae laborantes* vix *altae nivis onus sustinere* dicuntur, ita tabescente Daphnide quercus apud Theocritum lacrimant, hoc est liquefactae nivis stillas demittunt; eodemque exemplo alias singulas illius fabulae partes ad naturalem significationem revocare facili negotio licebit. Sic quod jam superius cognovimus Echenaidis nomen, quo Timaeus apud Parthenium Daphnidis uxorem appellat; proclivi interpretatione eam tempestatem declarat, qua naves in stationibus suis retinentur [53]); utque de caecitate taceam, quam secundum ea, quae superius disserui fortasse praeposterum fuerit cum aliarum fabularum exemplis ad naturalem interitum retulisse [54]), illud certe, quod Theocriti Scholiasta tradidit Daphnin occaecatum de rupe cecidisse torrenti verno solutis nivibus turgido insigniter convenit; idem vero postquam defluxit, ipsa rupes velut mutati Daphnidis imaginem praebere poterat, ut

---

50) Schol. Idyll. I. 139: *καὶ ὁ Δάφνις δίρβη τὸν ῥοῦν τοῦ Ἀχέροντος δηλονότι — ἔκλισεν ἤγουν ἐκάλυψεν ἡ δίνη τουτέστιν ἡ συστροφὴ τῶν ῥευμάτων τοῦ Ἀχέροντος τὸν ἄνδρα κ. τ. λ.* Comparant Ovid. Amor. III. 9. 27: *hunc quoque summa dies nigro submersit Averno*; at illic *Avernus* Orcum universe significat, ut *Avernae valles* Metam. X. 51.

51) *Ῥόον βαίνειν* comparare licebit cum Plutarcheo *τρέχειν τὸν ἡμίονον*, hoc est *currendo mulum imitari, muli instar currere*, Sept. sapient. conv. p.150 B, ubi plura Wyttenbachius e latinis; adde *Bacchanalia vivere* Juv. II. 3 graecaque apud Bernhardyum wiss. Synt. p. 108 sqq.

52) Cf. Lucret. I. 5 sqq. et V. 736, Tibull. II. 3. 3, Horat. Carm. I. 4. 5, Ovid. Fast. IV init.

53) Cf. Becker. Charicl. T. II, p. 280: *im Winter ruhete bekanntlich die Schiffahrt, wie schon Hesiod. ἔργ. 619 ff. vorschreibt* etc.

54) Müller kl. Schriften T. II, p. 126: *es ist von selbst klar, dass sich dieses auf das gänzliche Verschwinden des Orion im Frühjahr bezieht; er irrt nun blind und unsichtbar umher, seine Augen haben ihr Licht verloren, Niemand sieht ihn* etc. Adde Uschold. Vorhalle T. II, p. 149.

ne Ovidium quidem miremur, qui Daphnin in saxum conversum esse memorat [55]), praesertim si circa easdem oras, ubi Daphnis mortuus esse narrabatur, saxum hominis formam ostendebat, quale Servius apud Cephaloeditanum oppidum revera exstare audierat [56]). Parthenius quoque quod *χείματός τε καὶ θέρους ἀγραυλεῖν* eum dicit, hibernam potissimum naturam arguit, quae ne finita quidem aestate tecta quaerat [57]); nec Mercurius hanc vel pater vel extremae conversionis auctor dedecet, quem ad pluviam dudum doctorum hominum acumen retulit [58]); omnium autem maxime, ut opinor, ad hiemem nos venationis studium et Dianae cultus remittit, quam claris verbis Pervigilium Veneris vere novo Dianae de silvarum regno cedere jubet [59]); utque Adonidis mors, qua aestatis in hiemem transitus significatur [60]), per venationis occasionem accidit, ita nunc vicissim renascente anno Venus Dianae amicum, Daphnin venatorem, perimit. Quid quod hoc vestigio etiam propius ad carminis pastoricii originem accedere licet, quo primo Daphnidis fata et inventa et celebrata esse vidimus; quod quum commodissime a festa occasione derivetur, vix aptior invenietur quam ipsa illa pervigilia, quibus ineunte vere Veneris potestatem in natura reviviscente conspicuam salutatam esse

---

55) Metam. IV. 277: *pastoris amores Daphnidis Idaei, quem Nymphe pellicis ira contulit in saxum.* Idaeum haud scio an memoriae lapsu dixerit; quanquam sunt etiam qui scenam fabulae in cretam transferant. An Astacidem immiscuerunt ex Callim. Epigr. 23?

56) Cf. sup. not. 22. Tales naturae lusus passim memorant veteres, ut Nioben lacrimantem Pausan. I. 21. 5, Panisci caput in lapicidinis Cicero Div. I. 13, ejusdemque farinae plura apud Boisson. Praef. Philostr. Epist. p. XII et Curt. Peloponn. T. II, p. 198; adde *παρακύπτουσαν* Plut. Erot. c. 20 et Zenob. Proverb. III. 32: *παρακύψας γὰρ ἐκ τοῦ σπηλαίου ἀπελιθώθη καὶ διέμεινεν ἔτι καὶ νῦν ὁ λίθος ἀνθρωποειδὴς τὴν κεφαλὴν ὑπερέχων τοῦ σπηλαίου.* De locis, ubi Daphnis et vixerit et mortuus sit, multis egerunt Dorvillius Sicul. p. 26 sq. et Lennepius p. 159; arduum tamen fuerit fabulam, quae toti Siciliae communis fuisse videtur, unius regionis finibus adstringere.

57) Cf. *ἀναγκαίαν οἰκουρίαν* Long. Pastor. III. 4, cujus descriptionis veritatem non erat cur in dubitationem Courierius revocaret.

58) Nonnus Dionys. X. 362: *δὸς χάριν Ἑρμάωνι διιπετέος χύσιν ὄμβρου*: cf. Petersen in Allg. Lit. Zeit. 1838, Erg. Bl. p. 304.

59) Pervig. Ven. v. 47: *regnet in silvis Dione, tu recede Delia.*

60) Macrob. Saturn. I. 21: *ab apro autem tradunt interemptum Adonin, hiemis imaginem in hoc animali fingentes . . . ergo hiems veluti vulnus est solis, quae et lucem ejus nobis minuit et calorem*; cf. Ammian. Marcell. XXII. 9: *evenerat autem iisdem diebus annuo cursu completo Adonia ritu veteri celebrari, amato Veneris, ut fabulae fingunt, apri dente ferali deleto, quod in adulto flore sectarum est indicium frugum*; pluraque apud Creuzer. Symb. T. II, p. 429 sqq., Engel. Kypros T. II, p. 589 sqq., Movers. Phoenicier T. I, p. 212 sqq., Roulez. in Bull. de l'Acad. de Bruxelles 1842, n. 12 etc.

probabile est [61]; quibus quum nullum magis argumentum quam victae hiemis descriptio conveniret, hanc ipsam pastoricii ingenii simplicitas ita instituisse videtur, ut ne amoris quidem frigus, quamvis firmiter destinatum, perennius quam naturae somnium esse demonstraret eademque opera miseram et quasi hibernam ejus sortem deploraret, qui animum contra Veneris illecebras obfirmasset. **His** autem propositis illud facile intelligitur, neque cum **Lini** neque cum **Lytiersae** fabula **Daphnin** aut comparari aut commisceri licere [62], si quidem hae ad aestivum potius calorem et torridae tempestatis pestes pertinent; nostrae quam presse comparemus unam habemus Narcissi, quem quamvis et ipsum fuerint qui ad illorum similitudinem informare conarentur [63], tamen et nominis origo, quae manifesto ad *ναρκᾶν*, *torpere*, referenda est [64], et totius fabulae ratio in eam nos opinionem inducere debet, ut idem quod **Daphnin** apud pastores Siculos, Narcissum olim apud Thespienses fuisse statuamus. Nempe hic quoque pariter ac **Daphnis** a Nympha natus [65] in eodem quo **Daphnis** aetatis gradu constitutus, ut et puer et juvenis videri posset, multorum juvenum puellarumque amore expetitus erat;

sed fuit in tenera tam dira superbia forma:
nulli illum juvenes, nullae tetigere puellae;

donec *manus aliquis despectus ad aethera tollens*: *sic*, precaretur, *amet ipse licet, sic non potiatur amato*, precibusque auditis Rhamnusia, hoc est Nemesis, quam nec ipsam longe remotam a Venere haberi novimus [66], sui ipsius simulacri in fonte visi cupidinem illi incuteret, quam non inepte cum peregrinae illius speciei desiderio, quo **Daphnis** periit, comparari arbitror. **Eodem** certe quo hic exemplo contabescit venandique studio, cui antea vacaverat, deposito apud fontem illum

---

61) Cf. Paldamus de Pervigilio Veneris, Gryph. 1830. 4 et Heidtmann de eodem carmine, ibid. 1842. 8, p. 10 sqq.

62) Quorum alterum fecit Klausenius p. 524, de altero obscurius loquitur Welckerus Kl. Schriften T. I, p. 36: *so sind Linos und Daphnis, wie verschieden auch im Ursprung, gleichartig in Gebrauch und Wirkung*; idem tamen Narcissum quoque cum Daphnide commisit p. 199.

63) Cf. Ambrosch de Lino p. 20 sqq.

64) Narcissum florem, quamvis alio consilio, a *νάρκη* et *ναρκᾶν* derivant Cornut. N. Deor. c. 35 et Schol. Sophocl. Oed. Col. 683; adde, quem Osannus laudavit, Plutarch. Qu. Sympos. III. 1. 3: *καὶ τὸν νάρκισσον ὡς ἀμβλύνοντα τὰ νεῦρα καὶ βαρύτητας ἐμποιοῦντα ναρκώδεις.*

65) Cf. Ovid. Metam. III. 342 sqq. quaeque praeterea larga manu de tota Narcissi fabula congessit Fr. Wieselerus, collega conjunctissimus, in Programm. archaeol. Gotting. 1852.

66) Cf. Zoëga Abhandl. p. 56 sqq. et Walz. de Nemesi Graecorum, Tubing. 1852. 4.

moratur [67]); cujus undis multi etiam mersum eum tradunt [68]); nec si alii huic quoque morti tragicam pueri culpam et velut *ὕβριν* castitatis immiscuerunt, qua mors ejus ad justae vindictae speciem revocaretur [69]), hunc saltem exitum ignorant, ut pro Narcisso florem ipsi cognominem inventum esse tradant, veris nimirum indicem et nuncium, qui in hiberni torporis et sterilitatis locum successerit [70]). Hac igitur fabula Thespienses in Erotidiis, quibus patrium deum Amorem colebant [71]), vim hujus eodem modo quo Siculi Veneris ita praedicasse videntur, ut neminem illam impune spernere et, si maxime veros amores fugiat, ficticio perire Narcissi exemplo docerent [72]); idem autem Amoris apud Thespienses cultus quo certius inter antiquissimas religiones locum habet, quibus non humani tantum affectus, sed rerum naturae vires consecrabantur [73]), eo minus in Anterotis reverentia consisti licet, quae ad tragicam potius *ἀλάστορος* notionem pertinet [74]), sed ipso flore, ut diximus, arguente ad physicam interpretationem re-

---

67) *Μειράκιον ἄρτι θήρας ἀπηλλαγμένον*, Philostr. Imag. I. 23; cf. Paus. IX. 31 et Wieseler. l. c. p. 14.

68) Eudocia p. 304: *ἐπικύψας πηγῇ τινι καὶ τῆς ἑαυτοῦ σκιᾶς ἐρασθεὶς ἔρριψεν ἑαυτὸν ἐκεῖ καὶ ἐνεπνίγη τῷ ἐνόπτρῳ ὕδατι, καὶ ἡ γῆ ἀνέδωκε φυτὸν ὁμώνυμον τῷ νεανίᾳ*: cf. Westermann. Mythogr. p. 323. 378.

69) Conon. Narrat. 24: *ἐν Θεσπείᾳ τῆς Βοιωτίας παῖς ἔφυ Νάρκισσος πάνυ καλὸς καὶ ὑπερόπτης ἔρωτός τε καὶ ἐραστῶν. καὶ οἱ μὲν ἄλλοι τῶν ἐραστῶν ἐρῶντες ἀπηγόρευσαν, Ἀμεινίας δὲ πολὺς ἦν ἐπιμένων καὶ δεόμενος· ὡς δ' οὐ προσίετο, ἀλλὰ καὶ ξίφος προσέπεμψεν, ἑαυτὸν πρὸ τῶν θυρῶν Ναρκίσσου διαχειρίζεται, πολλὰ ἱκετεύσας τιμωρόν οἱ γενέσθαι τὸν θεόν· ὁ δὲ Νάρκισσος ἰδὼν αὐτοῦ τὴν ὄψιν καὶ τὴν μορφὴν ἐπὶ κρήνης ἰνδαλλομένην τῷ ὕδατι, καὶ μόνος καὶ πρῶτος ἑαυτοῦ γίνεται ἄτοπος ἐραστής — τέλος ἀμηχανῶν καὶ δίκαια πάσχειν οἰηθεὶς ἀνθ' ὧν Ἀμεινίου ἐξύβρισε τοὺς ἔρωτας ἑαυτὸν διαχρῆται κ. τ. λ.*

70) Primo Narcissi flore primam arationem ostendi docet Plin. N. Hist. XVIII. 26. 65, quam arationem sive primo sive medio veri assignaveris, vernus flos semper manet. Secundum et tertium, quibus sequentes quoque arationes regebantur, ab hac fabula alienos Cereris sacris relinquemus, in quibus ejusdem floris non exiguae partes sunt; cf. Intpp. H. in Cerer. v. 8 et Oedip. Colon. v. 683 pluraque apud Creuzer. ad Plotin. de Pulchrit. p. XLVIII sqq., modo ne his Narcissi pueri persona immisceatur, quam licet in temporum ratione incepte argutans Pausan. IX. 31 extr. recte tamen Eleusiniarum religionum monumentis ignotam esse monuit.

71) Cf. Gottesd. Alterth. §. 63, n. 4.

72) Narcissi fabulam ad Amoris cultum pertinuisse clare testatur Conon: *καὶ ἐξ ἐκείνου Θεσπιεῖς μᾶλλον τιμᾶν καὶ γεραίρειν τὸν Ἔρωτα καὶ πρὸς ταῖς κοιναῖς θεραπείαις καὶ ἰδίᾳ θύειν ἔγνωσαν*: cf. omnino Welcker. l. l. p. 198: *der Schönheit, Jugend und zuvorkommenden Liebe allzu beharrlich zu widerstreben schien ebensosehr gegen die allgemeinen Rechte des Eros zu seyn, als Kälte des Bluts und des Herzens gegen die Natur.*

73) Cf. Böttiger. Kunstmyth. T. II, p. 407 sqq., Creuzer. Symbol. T. IV, p. 161 sqq, Gerhard über den Gott Eros, Berlin 1850. 4, p. 2, Schömann de Cupidine cosmogonico, Gryph. 1852. 4, p. 20. Mysteria modo recte excludit Otto Jahn in Ann. Inst. arch. 1841, p. 290.

74) Clarissime hoc ostendit Pausan. I. 30: *τὸν δὲ ἐν πόλει βωμὸν καλούμενον Ἀντέρωτος ἀνάθημα εἶναι λέγουσι μετοίκων, ὅτι Μέλης Ἀθηναῖος μέτοικον ἄνδρα Τιμαγόραν ἐρασθέντα ἀτιμάζων ἀφεῖναι κατὰ τῆς πέτρας*

deundum est, quam etiam reliquis omnibus omissis nomen hominis satis superque commendat. Nec Daphnidis nomen, ut ad hunc redeamus, hiemis significationem respuit; quod quum jam externa similitudo cum δάφνη, lauru, comparare cogat [75]), vel arborem hanc constat hiberno tempore viridem manere frondisque vigorem integrum servare; Daphne autem, cujus fortuna vetus fabula arboris sive naturam sive originem descripsit, hac ipsa re hibernam vim prae se fert, quod Apollinis hoc est solis impetum a se arcet rigescendoque evitat [76]). Nam quod Apollo nihilominus Daphnen amat ejusque arborem in deliciis habet, non impedit quominus vi et natura sua infesta illi ac contraria habeatur; immo singularis haec numinis illius indoles est, ut contrarios affectus velut temperamento quodam inter se conciliet et conjungat; qui ut pestem et immittit et avertit, ita Lini et genitor et occisor audit [77]), idemque lupum et arcet et tuetur [78]), ipsosque hibernos menses, quibus Delphis abest, in cognomine hujus regione Lycia [79]) transigit; quae quum ita sint, ne Daphnin quidem nostrum quamvis hiberna natura ab Apollinis amicitia excludet. Ipsorum denique vocabulorum et Δάφνιδος et δάφνης si etymologiam quaerimus, haud scio an satis expedita et proclivis in δα et φένω hoc est *neco* offeratur; ut velut enecare et constringere sive suffocare terram hiems dicatur; δα enim quamvis productum pro γᾶ dici non posse plerisque videatur [80]), correptum tamen, ut in utroque illo vocabulo est, ad δάπεδον nos remittit, in quo soli vel terrae significationem non ex posteriore demum vocabuli parte derivandam esse arbitror; hac igitur in originatione, donec certior afferatur, acquiescere poterimus.

αὐτὸν ἐκέλευσεν . . . Μέλητα, ὡς ἀποθανόντα εἶδε Τιμαγόραν, ἐς τοσοῦτον μετανοίας ἐλθεῖν, ὡς πεσεῖν τε ἀπὸ τῆς πέτρας τῆς αὐτῆς, καὶ οὕτως ἀφεὶς αὑτὸν ἐτελεύτησε· καὶ τὸ ἐντεῦθεν δαίμονα Ἀντέρωτα τὸν ἀλάστορα τοῦ Τιμαγόρου κατέστη τοῖς μετοίκοις νομίζειν: cf. Serv. ad Aeneid. IV. 520 pluraque apud Böttiger. Kl. Schriften T. I, p. 160, de Alastore autem Nitzsch. Sagenpoësie p. 540 sqq., meaque in Quaest. Oedipod. p. 98, quae probasse Eduardum Müllerum in Zeitschr. f. d. Alterth. 1846, p. 335 valde laetor.

75) Daphnin ipsum *inter lauros* inventum nomen hinc accepisse narrant Diodorus, Aelianus, Servius; nolim tamen ideo *lauci surculum* (*Lorbeerspross*) interpretari cum Welckero p. 187.

76) Cf. Ovid. Metam. I. 452 sqq. Pausan. VIII. 20. Daphnen cum Daphnide castitatis nomine comparavit etiam Klausenius p. 525; male tamen, quantum equidem sentio, purgatricem lauri vim immiscuit, quae ex Apollinis demum amore sequitur, quanquam hanc vel in origine vocabuli primitivam statuit Benfeyus Wurzellex. T. II, p. 68.

77) Cf. Ambrosch l. c. p. 14.

78) Cf. Ulrichs Reisen und Forschungen p. 63 sqq.

79) Serv. ad Aeneid. IV. 143; cf. Plutarch. de Ei apud Delphos c. 9 meaque de anno Delphico, Gott. 1844. 4, p. 24.

80) Cf. Preller Demeter u. Persephone p. 366 sqq., Baumlein in Zeitschr. f. d. Alterth. 1839, p. 1202 Schwenck ibid. 1841, p. 653. Nuper tamen rursus veterem Δήμητρος a δῆ pro γῆ originationem tuitus est Savelsberg in Hoeferi Zeitschr. f. Sprachwissenschaft 1853, T. IV, p. 96.